



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

XII. Quia illius cultus nota est electionis ad gloriam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

quicumque ab ista hora sunt in summa pœna purgatorij, venient ad mediam, & qui sunt in media venient ad levissimam, qui autem in levissima pœna, transibunt in requiem.

Eadem S. Mater *ibidem* lib. 4. cap. 13. sic locuta. Mater sum omnium qui sunt in purgatorio, quia omnes pœnæ quæ debentur purgandis, pro peccatis suis, in qualibet hora propter preces meas quodammodo mitigantur, ita placet Deo, ut aliqua ex his quæ debentur eis de rigore Divinæ justitiæ minuantur. Et lib. 6. cap. 10. Nulla pœna est in igne purgatorij, quæ propter me non remissior erit, & levior ad ferendum, quàm aliàs esset. Plenum solatij *Petrus Damian. lib. 3. epist. 1072.* narrat. Recurrente festo Assumptionis B. Virginem solere ad purgatorium descendere, & multos pœnis eximere, quod ipsum *ibidem* 10. sequenti exemplo ostendit.

Die Assumptionis B. Virginis Romæ contigit, ut quædam mulier viderit in templo suam commatrem jam ante annum mortuam, interrogavitque, an illa verè esset? eâ verò annuente, ulterius quæsit, quid esset de illa factum? dixit mortua se fuisse in purgatorio detentam usque ad illam diem, quâ per interventum D. Virginis, & ipsâ, & tanta multitudo quæ superet multitudinem plebis Romanæ liberata est. Cum verò viva dubitaret de narratione mortuæ, mortua in confirmationem rei dixit viventem illâ ipsâ die post annum morituram. Tempore prædicto advenit mors, sed non imparatæ.

Hanc miserationem S. Virgo adhuc cùm in terris esset exercuit erga hujusmodi animas. Nam ut in *umbra Virginea docet Navarin.* ex bonæ notæ Authoribus lib. 4. Virginem moram petijisse à Filio ut ipsa in cælum itura omnes animas secum ex purgatorio educeret. Et asserit prædictus Scriptor idem quotannis festo Assumptionis evenire. Quod etiam idem contingit & die, quâ Deum genuit. Et ut scribit *Dion: Carthus. serm. 2. de Assumpt.* patet ex historia sequenti. E duobus caris amicis decepsit unus circa festum omnium Sanctorum, superstes verò dolori totus non auxilio vacabat erga defunctum. Apparuit illi defunctus post festum nati Christi, inutiles exprobravit lachrymas: & adjecit. B. Virgo singulis annis in festo Nativitatis Christi ad purgatorium descendit, & multas animas inde educit. Sperabam & me ab illa tuis precibus exorata liberandum, sed non orâsti: verum etiam solet nocte Resurrectionis descendere, rogo nè cesses pro me illius clementiam exorare.

## 12. Quia illius cultus nota est electionis ad gloriam.

Id testatur *Græca Ecclesia verbis Joseph Confessoris in Meneis Jan. 3. odè 5.* Omnibus in laudem tuam ô Virgo effusis, animæ salutem largiris præmij loco. Et 4. Jan. *idè 9. ex eodem.* O Genitrix Dei, illorum omnium salus, quotquot assiduè tibi vocibus



cibus gratulaatur ac plaudunt. Et 7. Martij. Libro viventium suos ingerit pugiles, quicumque leges sibi præscriptas omnibus numeris servant. Idem adstruit e Latinis S. Anselm. lib. de excell. Virg. cap. 4. Cui datum est dulci studio sæpe posse cogitare de B. Virgine, magnum is promerendæ salutis habet indicium. Et S. Antonin. p. 4. tit. 25. cap. 14. Necessarium est ut ij ad quos convertit oculos B. Virgo, pro eis advocata justificentur, & glorificentur.

Expertus id ille de quo in Revel. s. Brigittæ lib. 6. cap. 97. Is per sexaginta annos sine ullo sacramentorum remedio scelera continuavit, etiam in morte ad pœnitendum difficillimus; tamen Christus Dominus revelavit de illo S. Brigittæ eum ad purgatorium ivisse, quia contritus decessit, contritionem verò accepit ex sua benignitate, & propter meritum S. Virginis: nam licet homo iste non dilexit eam corde, tamen quia cõsuetudo (verba sunt Christi D.) sua fuit compati ejus dolori, quoties eam considerabat, & audiebat nominari, ideo compendium salutis suæ invenit, & salvatus est. Virginis fuit figura arca vetus. Contingit peccatori quod Sacerdoti Abiathar 3. Reg. 2. Obnoxius hic fuit prodioni omninoquæ periisset; sed dixit illi Salomon. Equidem Vir mortis es, sed hodiè non te interficiam, quia portasti arcam Domini.

Sed rem jam oculis accipiamus in eo de quo Bonfin. lib. 3. Ungaric: verum decem anno 1415. Post prælium commissum contra Turcas biennium decurrerat, dum quidam viatores pugnæ locum prætereunt, & audiunt proferri voces Iesus, Maria, Itepent & inquirunt fontem vocum, inveniuntque caput quoddam, quod admirantibus hæc protulit. Ante biennium sine sacra confessione, in conflictu occubui, Maria Mater Dei cui devotus in vita fui, linguam mihi servavit, quâ confiteri possim, Idcirco accersite sacerdotem, factum juxta desiderium & confessus, illicò contocui. S. Anselm. verba adducit S. Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 14. n. 67. Impossibile est quod illi à quibus Virgo Maria oculos suæ misericordiæ avertit, salventur: ita necessarium quod hi ad quos convertit oculos suos, pro eis advocans justificentur, & glorificentur. S. Germ. Patriarcha orat. de zona. Quomodo corpus vitalis signum operationis habet respirationem, ita & sanctissimum tuum nomen Virgo Beatissima quod in ore servorum tuorum versatur assidue, in omni tempore, loco, & modo, vitæ, lætitiæ, & auxilij, non solum est signum, sed hoc etiam procurat, & conciliat.

Absolutè S. Bonav. tom. 2. opusc. de sps: B. V. Qui dignè coluerit eam, justificabitur, qui autem neglexerit illam, in peccatis suis morietur. Et in psalt. Qui acquirit gratiam Mariæ, agnoscerit à Civibus paradisi, & qui habuerit charitatem ejus, annotabitur in libro vitæ. Et Richard. à S. Laur. lib. cap. 3. Per Mariam tanquam per mare transeunt veri Israelitæ ad portum felicitatis æternæ, submersis Ægyptiis. Et lib. 2. Turris fortissima nomen Dominæ, ad ipsam fugiat peccator, & liberabitur, hæc defendit quoslibet, & quantumlibet peccatores. B. Wermanus in hymn. ad Virg. Gaudet



Gaude (Virgo) Fons qui non ficcaris, & quàm suavis dum gustaris, te qui bibit non peribit, te qui quærit nunquam perit. Idque adedò ut dixerit *Petrus Damian: lib. 2. epist. 14.* Nec ad æterni Judicis poterit perire conspectum, qui Genitricis ejus sibi providerit auxilium. *Alb. M. in bibl. Mar. in 75as.* Gens & Regnum quod non fervierit tibi, & Mater mea peribit. *Glossa.* In die judicij. Quasi dicat. Ergo qui fervierint ei non peribunt. *Bonav. in Psalt. B. V.* Pax multa diligentibus te Domina, anima eorum non videbit mortem in æternum.

In quam rem ipsam dixit *Rich. à S. Laur. lib. 2. de laud. B. V.* Servire Dei Genitrici debes dum vivis, post mortem vivere si vis. Et *Ludov. Blos. in canone vite Spirit. cap. 18.* Fieri non potest ut pereat, qui Mariæ sedulus & humilis cultor fuerit. Apud eundem dicit *Anonymus inter dicta Patrum cap. 5.* Enimverò in æternum perire non potest, quisquis Mariam devotè & perseveranter colit.

Sed audi quid dicat *Petrus Damian. serm. in Epiph.* Reliquit nobis Maria exemplum, ut sequamur vestigia ejus, ut tales simus qualis ipsa fuit, sic ergo Fratres ad verum solem pervenire poterimus, si Virginis & Stellæ nostræ vestigia fuerimus imitati. *Hugo Vict. serm. in quolibet festo B. Virginis.* B. Mariam pro viribus imitari studeamus, ut ejus meritis & precibus cum ipsa glorificari valeamus, imitemur B. Mariam sub brevitate temporis, ut cum ipsa gloriari mereamur in diuturnitate æternitatis. *Amedeus Lausanen. bom. 5.* Effecti morum similitudine similes Genitricis Dei, post eam adducemur in templum Regis & Filij sui. *Abfalon Abbas serm. 1. exegrandi. in Annunc.* In virga furoris flagellabit Dominus eos qui Virginem S. contempserint. Et *S. Jldes. lib. 2. de Virg. cap. 4. invitat.* Veni mecum ad hanc Virginem, nè sine hac properes ad gehennam. Veni abscondamur sub velamento virtutis ejus, nè induaris confusione sicut diploide.

Et certè *S. Bonav. in Psalt.* Qui dignè coluerit Mariam justificabitur, qui autem neglexerit illam, morietur in peccatis suis. Virgo enim rosa est in Jericho, quam Sarabæ fugiunt. Hinc meritò illi *Ecclesia* appropriat illud. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.

Simile quid à Deo didicit *S. Catharina Senensis Dial. 14.* Mariæ Unigeniti Filij mei gloriolæ Genitrici concessum est à bonitate mea propter incarnati Verbi reverentiam, ut quicumque justus vel peccator recurrerit ad eam cum debita reverentia, nullo modo decipiatur vel devoretur ab infernali dæmonio.

Hoc ipsum ferè dictum S. Matri à Christo D. Audivit. *S. Brigitta lib. 1. cap. 50.* cum Mater illi proposuisset, quòd mundus tribus rebus indigeret. Primò contritione de peccatis. Secundò satisfactione. Tertio fortitudine ad facienda bona. Respondit Filius Matri. Omnis qui invocaverit nomen tuum & spem habuerit in te cum proposito emendandi commissa, ista tria dabuntur ei, & insuper Regnum cœlorum.

H

lorum.



lorum. Et ipsa Virgo lib. 6. cap. 10. dixit. Nullus ita alienatus est à Deo nisi omnino fuerit maledictus, qui si me invocaverit non revertatur ad Deum & habebit misericordiam.

Quod ipsum *pelbartus Stella lib. 12. profecutus part. 2. art. 1.* Servire B. Mariæ, devoteque & debite eam venerari, est certissimum, & securum signum salutis æternæ. Idem docet *Joannes Rusbrochius lib. 2. spir. nupt. cap. 77.* Hanc Sacratissimam Virginem quisquis imitatur; quidquid virtutibus contrarium est, superat, & ad illud pertingit regnum, ubi cum Filio suo in omnem regnat æternitatem. Verum & totius Græcæ Ecclesiæ in *Mensis 16. Mart.* idem fuit sensus. Illuc jure unusquisque contendit, ubi securam salutis suæ fiduciam habet: ac certe ubi simile nobis refugium patet, seu apud te Domina, quæ es Protectrix animarum nostrarum? Quia ut *ibidem 21. Martij*, carnem Filij tui, & virgam virtutis adepti, per eam inimicorum nostrorum fastum prosterimus, quotquot te ferio amantes contentione indefinente laudamus, & te Inventrice dignâ sese ac rerum omnium Administrâ utitur Deus, esque pà voce omnium te laudantium Salus æterna.

Illam ergo precemur cum *Joseph Confess. 22. Martij ibid.* Honore venerando dignum est puerperium tuum, ex quo ipse prodijt Deus, quem intercessione tuâ permovere, ut omnes indubitâ fide te colentes, ab inferorum horrendo supplicio præstet immunes. Neesse tamen est esse memorem moniti dati à *S. Bonav. tom. 7. Epist. que continet 25. memorabilia memor. 3.* Ut tua devotio sit illi accepta, & reverentia grata; ipsius puritatem & munditiam omni virtute, mente & corpore illibatè in te ipso servando, toto conatu nitaris, humilitatis & mansuetudinis ejus vestigia imitari.

## CAPUT V.

### Beatam dicit Mariam mundus universus.

1. Quia cadentem mundum sustinet.

**C**adentis mundi Erectricem, vocavit *S. Joseph. Confess. in Mensis 2. Jan. 44. 5.* Quia ut *Jdiota* dixit. Per ipsam, in ipsa, & cum ipsa, & ab ipsa habet mundus & habiturus est omne bonum.

Neque